



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 44. Concilium Claromontanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. Rex aureorum Solidorum septem millia,
 A. C. 535. quæ Episcopus inter Cives distribuit.
 Illi hac pecunia commerciis utiliter im-
 pensa ad pinguiorem fortunam eluctati
 sunt, tuncque Episcopus Regi pecunias
 suas restituere parabat, qui respondit,
 non sibi his pecuniis opus esse, sufficien-
 tem usuram reputare, quod suo auxilio
 Civium illorum paupertas fuisset suble-
 vata.

§. XLIV.

Concilium Claromontanum.

Concilium Claromontanum octava Nov.
 post Consulatum Paulini junioris
 nempe anno 535. congregatum, & Ca-
 nones sexdecim conditi. Ut Patres ab-
 usui invalescenti, quo Clerici Regum fa-
 vore Episcopatus obtinebant, Leges op-
 ponerent, statuunt, ut ille, qui Episco-
 patum desiderat, electus a Clericis &
 Civibus cum Metropolitæ consensu or-
 dinetur; at potentium Virorum Patro-
 cinium a nullo quærat, fraus nulla ad-
 hibeatur, nemo metu cogatur, aut mu-
 neribus alliciatur, ut Electionis Decreto
 subscribat. Si hoc vitii deprehendatur,
 Clericus a Communione Ecclesiæ, cujus
 Regimen ambit, excludetur. Clerici
 a Potestatibus Sæcularibus contra Epis-
 copos suos tutelam non petant. Qui a
 Rege sibi conferri petunt cujusdam Ec-
 clesiæ

Can. 2.

c. 4.

clesiæ Bona, quibus pauperes defraudentur, illius Ecclesiæ Communione privantur, & nulla erit talis Donatio. Ille quoque excommunicetur, qui Ecclesiæ quocunque demum modo aut ratione, confectis tabulis donata subtraxerit, & subtracta Episcopo prima vice repetente non restituerit.

Omnes Clerici Festa Domini Natiuitatis, Pascha, Pentecosten, aliaque Festa solemnia cum Episcopo in Civitate celebrent, exceptis illis, qui vel in Civitate vel Ruri certis Titulis alligati sunt. Idem Civium Senioribus præcipitur sub pœna, ut illorum Festorum Communionem priventur. Prohibetur, ne Peristromatis aut velis Altaris Corpora mortuorum, nequidem Presbyterorum, congerentur, nec Vasa Sacra argentea Ecclesiæ in Nuptiis adhibenda cuiquam concederentur.

Post Canones visitur Epistola Synodalis eorundem Episcoporum ad Regem Theodebertum directa, in qua ad quorundam privatorum preces rogant Principem, ut efficiat, ne quis Bonis, quæ in alterius Regis Ditione possidet, exuatur, si modo illi imposita tributa pendat. Nempe Clodoveo fatis functo Regnum ipsius inter quatuor filios, Theodoricum, Clodomirum, Childebertum & Clotarium divisum fuerat.

Sæculum VI.
A. C. 535.

c. 14.

c. 15.

c. 3. 7. 8.

p. 1805.